



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

§. 6. De commutatione voti simplicis castitatis, & Religionis simul.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

inde est vovens de hac limitata dispensatione sibi concessa.

9. His præmissis post solitam absolutionem dicat Confessarius :

*Et Authoritate Apostolica mihi specialiter delegata tibi votum castitatis, quod emisisti, in effectum, ut matrimonium contrahere, & debitum conjugale reâdere, & exigere licite possis & valeas, in opera tibi præscripta, dispensatione commuto. In nomine Patris &c.*

§. 6.

De Commutatione voti simplicis  
Castitatis, & Religionis simul,

1. Si quis petat commutationem voti simplicis castitatis & Religionis, expediuntur Literæ eodem fere modo, & forma. Monendus vero est Pœnitens quod, cum Commutatio illa sit perpetua respectu voti Religionis, licet temporanea sit respectu voti Castitatis, quod reviviscit per mortem conjugis, ideo opera Pœnitentiæ sint quoque perpetua. Si commutetur votum Religionis remanente voto castitatis, observanda sunt dicta §. 4.

2. Forma Commutationis hæc erit :

*Item Authoritate Apostolica mihi specialiter delegata, tibi vota Religionis, & Castitatis*

quæ emisisti ad effectum, ut matrimonium legitime contrahere, & in eo debitum conjugale reddere, & exigere licite possis & valeas, in opera pietatis, quæ tibi præscripsi dispensando commuto. In nomine Patris &c.

S. 7.

De Commutatione votorum Peregrinationis.

1. Vota trium Peregrinationum, videlicet Jerosolymam, ad limina Apostolorum Petri & Pauli, & ad S. Jacobum de Compostella, Sedi Apostolicæ reservata commutari solent ex causa infirmitatis, paupertatis, senectutis aliavè rationabili in alia opera pro arbitrio prudentis Confessarii, v. g. in faciliorem Peregrinationem, eleemosynam, Pœnitentiam aliave pietatis opera.

2. Formula Commutationis, quæ post absolutionem dicitur hæc est:

Item *Authoritate Apostolica mibi specialiter delegata, tibi Votum Peregrinationis, quod emisisti in Peregrinationem, eleemosynam, seu alia pietatis opera, quæ tibi præscripsi, dispensando, commuto. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.*